

locus ubi jacet Machometus, ad quam Meham vel locum sic vadunt Sarraceni sicut Christiani pergunt ad Sepulchrum.)<sup>1</sup> Tum Lomelic respondit Cadi dicens; Vade et facias sicut tu vis.

10. *Idem.*

Hoc dicto, statim ille Cadi accepit quatuor homines armatos ut irent ad interficiendum istos fratres, qui dum sic transissent quamdam aquam facta est nox. Et sic illo sero illos non potuerunt invenire. Statimque Lomelic capi fecit omnes illos Christianos qui erant in terra, et eos carceri mancipavit. Cum autem perventum esset ad dimidium noctis, tunc fratres ut dicerent matutinum surrexerunt, et tunc homines illi qui missi fuerant ad eos illos invenerunt, et illos extra terram sub arbore quadam adduxerunt. Dum autem sic illi adduxissent ipsos eis dicebant, Vos scire debetis quod mandatum habemus ab ipso Cadi et Lomelic, ut vos interficere debeamus, quod tamen adimplemus nos invite, cum sitis vita bona homines et sancti. Sed tamen nos aliter facere non valemus. Nam si suæ non obediremus jussioni, nos cum liberis nostris et uxoribus penitus moreremur. Hiis isti fratres responderunt sic dicentes: Vos qui huc venistis ut per mortem temporalem vitam æternam valeamus adipisci, quod vobis est preceptum facite. Nam pro fide nostra et amore Domini nostri Jhesu Christi,<sup>2</sup> quæ nobis adhibetis nos tormenta parati sumus viriliter sustinere. Unde sic istis audacter respondentibus et constantius, Christianus ille qui eos associaverat, et illi quatuor homines mali, multum ad invicem altercabant.<sup>3</sup> Nam eis respondebat Christianus et dicebat: Si gladium aliquem ego haberem aut quod vultis non fieret aut me cum ipsis neci finaliter daretis. Tunc illi fecerunt fratres expoliari. Statimque frater Thomas junctis manibus simul in modum crucis capitis abscisionem suscepit. Sed fratrem Jacobum unus percussit in capite et eum usque ad oculos scidit, statimque caput abscidit. Frater autem Dometrius uno gladio in mamilla fortissime fuit percussus. Exinde sibi caput fuit abscisum. Dum autem sic ex martirio suo animas Deo dedissent, statim aer ita lucidus et ita clarus est effectus, quod cuncti fortissime mirabantur; similiter, et luna maximam ostendit claritatem et splendorem. Statim autem post hoc tot et tanta tonitrua et fulmina atque choruscationes evenerunt, quod pene omnes mori finaliter se credebant. Navis etiam illa quæ debebat eos portare Polumbum et portati fuerunt usque ad Canam<sup>4</sup> contra velle suum, taliter fuit submersa, quod de ea et omnibus qui erant in illa nichil unquam breviter scitum fuit.

11. *Idem.*

Mane autem facto misit Cadi acceptum res illorum fratrum et tunc inventus fuit frater Petrus de Senis, trium aliorum fratrum socius. Quum eum sic reperissent ipsum ceperunt et eum duxerunt ad Cadi; quem ipse Cadi et alii Sarraceni alloquentes sibi maxima promittebant, si fidem suam vellet abnegare et illam Machometi integraliter confiteri. Ipsi autem dum sic sibi loquerentur, ipse de eis trufabatur et eos

<sup>1</sup> The whole of this is expressed in *Mus.* in quite different and more diffused language; but, as the meaning is the same, the variations are not worth specifying.

<sup>2</sup> *Hak.* et *Mus.* qui pro nobis crucifigi et mori dignatus est.

<sup>3</sup> *Mus.* multum audacter et constanter cum illis quatuor armatis altercatus est.

<sup>4</sup> *For* Tanam.